



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

De potentia absoluta id fieri posse autumat Durandus. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

decuplo tantum maiorem esse diximus, quam virtutem B. Hac ratione videtur sibi Caiet. de aduersarijs laudem reportare: quæ meo iudicio non minus infirma est, quam præcedens: vt enim aliquid probet, supponere debet necessario hoc augmentum, & decrementum virtutis ex augmento aut decremento potentie subiecti, fieri secundum gradus eiusdem forme intensiōe aut remissiōe, quo pacto assignari posset decupla illa proportio vnius ad alterum, atque argumentum vim haberet. At hoc non est illi concedendum. Nam dicere possumus, virtutem, quæ ex nulla potentia educit effectum, finitam esse, & maiorem esse quamque alia: quæ ex aliqua potentia effectum producit, verum nec proportionem decupla, nec alia geometrica ipsam excedere, sed quodammodo infinitè, sicut vna species excedit aliam; eo quod illa virtus est distincta specie à quauis alia virtute educente effectum de aliqua potentia; sicut virtus intellectus differt à virtute sensus non tamen in decupla, aut maiori proportionem ipsam excedit, sed tali gradu specifico vt quantumvis crescat in infinitum sensus, nunquam perfectionem intellectus attingat. Id quod de omnibus speciebus eodem modo dicendum est. Quomodo ergo infert Caietan. virtutem educentem effectum suum de potentia aliqua subiecti, æqualem fore virtuti producenti de nihilo, si hæc finita esset?

6. Nonnulli alij recentiores, vt rationem S. Tho. confirmant, hoc modo eam formant. Maior virtus requiritur ad producendum effectum ex nihilo, quam ad producendum ex aliqua potentia, quantumvis illa distet ab effectu; sed si potentia distet in infinitum aut propter impedimenta, aut alia de causa, requiritur virtus infinita: ergo ad producendum effectum de nihilo, necessaria erit virtus infinita. Verum præterquam quod hoc non est confirmare rationem S. Tho. sed nouam formare, nihil etiam prædicta ratio roboris habet. Primum quidem, nunquam S. Thom. loquutus est de effectu infinito sed de finito. Sententiam enim quælibet non posse fieri effectum infinitum, etiam à Deo, neque multitudinem neque magnitudinem. Quare ex modo faciendi, non ex re facta, cæteris paribus, colligere voluit infinitatem virtutis, penes hoc videlicet, quod fieret idem aut ex nihilo, aut ex aliquo. Dixit enim virtutem agentis non solum considerari ex substantia rei factæ, sed etiam ex modo faciendi. Quod si potentia aliqua subiecti distaret infinitè ab effectu ex ipsa producendo propter extrinsecas impedimenta, infinitas virtutis agentis esset solum consideranda ex substantia facti, hoc est, ex impedimentis auferendis, quæ essent infinita. Si vero distaret infinitè effectus ex sua natura, infinitas quoque virtutis ex substantia facti deberet attendi. Atque si hæc omnia ex nihilo fierent, virtus etiam esset infinita; non ex modo faciendi, quia scilicet ex nihilo faceret, sed ex substantia rei factæ. Cum igitur recentiores assumunt in sua ratione, Maior virtus requiritur ad producendum effectum ex nihilo, quam ad producendum ex aliqua potentia, quantumvis illa distet ab effectu, si intelligat, effectum finitum ex nihilo, & infinitum ex aliqua potentia, negandum est: quia non sunt cetera paria. Si vero de effectu finito, ita vt sola sit differentia in modo faciendi; concedi potest: sed inde nihil inferri, vt hactenus factis probatum est.

Posterior ratio, qua probari solet, solius Dei esse se creare, est S. Thom. in corp. huius art. & 2. contra gentes. 2. r. in hunc modum. Effectus magis vniuersales postulant causas magis vniuersales: inter omnes autem maxime vniuersalis effectus est ipsum esse: ergo postulat causam omnium maxime vniuersalem, quæ est Deus producere autem, esse, non in quantum est hoc, vel illud esse, sed in quantum est esse, est creare: ergo solius Dei est creare; cui etiam solum conuenit producere esse, in quantum esse.

Hanc rationem improbat Scotus in 4. dist. 1. q. 1. Sed istæ rationes: quia à quocunque agente generatur compositum, fit etiam esse compositum: sed ab agente creato fit compositum: ergo, & esse illius: non tamen per creationem: ergo esse rei non est proprius terminus creationis.

Ceterum Caiet. in hunc art. §. Ad euidentiarum horum, Ferrar. 2. contra gentes. cap. illo 2. §. 1. Circa hanc propositionem, derident Scotum, quod mentem S. Doctoris non intellexerit. Asserunt ergo, S. Tho. non tantum tribuisse Deo esse, vt effectum quomodo documque, sed vt proprium per se primo; in quo denotatur, Deum esse causam cuiuscunque pertinentis ad esse; & ipsum esse simpliciter quatenus esse est, referri ad Deum, vt obiectum ad æquatum potentie ipsius. Cum igitur esse quatenus esse sit ratio, vt aliquid creetur, & vt ad Deum referatur, vt ad causam vniuersalem, cōsequitur, creationem à solo Deo esse posse: optime namque inferitur, inquit Caietan. ex identitate termini per se primo creationis, eam soli Deo conuenire.

Mihi tamen quamuis Scoti argumentum non probetur, nihilominus Caiet. & Ferrar. defensio non placet. Primum quidem Scotus non recte arguit. Neque enim S. Thom. negauit esse compositum fieri à causa efficiēte ipsum compositum: nam tam compositum; quam esse illius est terminus generationis. Dico autem esse compositum, non secundum quamlibet sui partem componētem, sed secundum quod est tertium, quid ex partibus resultat: hoc enim est, quod generatur. quare hoc esse non est reducendum in causam vniuersalem; cum ipsum non sit vniuersale, sed particulare. Solum dixit S. Th. esse secundum rationem communem Deo tribui, vt propriæ causæ, & vniuersali.

Deinde defensio Caietani & Ferrar. minus sufficiens videtur: concedimus enim esse secundum communem, & vniuersalem rationem, quam habet respectu omnium, soli Deo tribui, vt propriæ causæ: nec vllam causam creatam circa illud versari posse. Ex opposito enim plane sequeretur, aliquam causam creatam seipsam posse creare: nam quemadmodum, quia color vniuersum est subiectum proprium & ad æquatum visus; quicunque color videri potest, eo quod sub communi illa ratione continetur: sic etiam creatura illa, cuius virtus versaretur circa esse secundum totam communitatem, seipsam creare posset: quia sub eo contineretur, aut si seipsam non posset producere, virtus eius non posset complecti ens secundum totam latitudinem.

Quod si obijcias, oculum versari circa lucidum & coloratum vniuersum, & tamen seipsam videre non posse: cum tamē sit lucidus & coloratus. Respondeo, etiam seipsam videre posse, si aut per reflexionem in speculo speciem sui recipiat, aut alio modo. Quare sub ratione etiā obiecti continetur, nisi quod non semper est in debita positione, vt speciem

speciem emittat: at creatura nullo modo intelligi potest seipsam producere.

10.

Hoc supposito, quod Caietano & Ferrar. libenter concedimus; non recte colligitur, soli Deo tribui creationem. Cum enim sic subsumunt: Causa, ut aliquid creetur est, esse secundum rationem simpliciter ipsius essentiae aut falsam subsumunt, aut nihil inde inferre possunt. Nam si ita dicant, ratio formalis termini creationis est esse secundum communem rationem, hoc est, ut complectitur sub se omnia entia: manifeste falsum asserunt. Neque enim qui creat, producit omne ens, cum creat, sed particulare. Si vero sic dicant, ratio formalis termini creationis est universalis, & tota entitas rei productæ, hoc est, res ipsas secundum omnem sui partem, verissimum est: inde tamen non fit, ut terminus creationis sit universalis ratio entis, aut esse in quantum esse: neque fit, ut si aliqua creatura produceret Angelum de nihilo, vel compositum aliquid ex materia & forma secundum se totum, posset etiam facere omnem creaturam. Dicere namque, aliquis posset, virtutem illius amplecti totum esse huius rei, non autem totum, esse alterius secundum omnem illius partem: ex quo sequeretur, posse creare hanc rem, non autem illam: Deum autem ita posse creare totam entitatem rei, ut non solum in hac re, sed in quacunque alia possit, & ita respectu virtutis creatis in illo obiectum adequatum esse ens secundum totam communitatem, non autem virtutis creatis in aliqua creatura. Hæ sunt potissimæ rationes, quæ videntur probare, non posse virtutem creandi universali creaturæ convenire. Mitto alias quas soluit etiam Durandus, quia faciliores sunt.

CAPUT II.

Nullam creaturam productam esse, vel produci posse, quæ habeat in se virtutem creandi rem minimam velior opinio est.

11.
D. Thom.
Caietan.
Ferrar.
Aegidius.
Henricus.
Scotus.
Ocham.
Gabriel.
Varro.

Communis sententia amplectenda est, quæ asserit, ita esse Deo proprium creare, ut nihil creatum sit, nec esse, possit, quod in se habeat virtutem creandi rem minimam. Sic traiaunt cum D. Tho. in hoc art. Caiet. & recentiores Thomistæ item 2. contra gent. c. 21. & ibi Ferrar. Aegidius quodlib. 5. q. 1. Henric. quodlib. 4. quæst. vlt. Scotus in 4. dist. 1. q. 1. §. ad questionem ergo, & seq. Ocham quodlib. 2. quæst. 9. & in secundum dist. 1. qu. 7. Gab. q. 4. artic. 2. refertur etiam ab Scoto. Varro in 2. dist. 1. qu. 6. qui tamen asserit, hoc non posse probari ratione vlla naturali: ex testimonijs tamen Scripturæ & Sanctorum recte deduci: consentiunt recentiores aliqui, quibus difficile est contradictionem in rebus inuenire, sed omnia facile secum componere arbitrantur. In qua re illud in primis observandum est, ut assereremus aliquid à Deo fieri posse non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam: siquidem in re ipsa esse potest, etiam si nobis non appareat.

Ex scriptura sancte non video, quò pacto colligi possit hæc sententia; nam testimonia omnia solum indicant, proprium esse Dei, creare omnia. Quod nihil obest quò minus aliqua creatura fieri possit, quæ aliquid creare valeat. At ex Sanctis Patribus multo melius id colligi videtur. Nam Athanas. ser. 3. contra Arianos, inquit. Administrare creaturam, & servorum est: condere autem, & creare solius Dei, cuiusque verbi & sapientia est: ac creatura quæcun-

quæ, quæ produceretur, serva esset: ergo illi non conveniret creare. Cyrillus li. 2. in Iulianum ait, hæc cessant natura sunt ea, quæ proprie sunt solius & omnium summa substantia, quorum unum esse dicimus, & unum operari posse ut creatorem & producere, res, quæ aliquando non erant. Intelligit, quæ secundum nullam sui partem ante erant: nam alio modo quæ non erant, creatura possunt produci, ut perspicuum est: reliqua pro nostra sententia manifesta sunt. Deinde refertur Augustinus 3. de Trinitate cap. 8. & 9. per Genes. ad lit. cap. 1. §. & lib. 12. de Civ. ca. 23. & Propter in lib. sententiarum Augusti sententia 146. & Cyrillus loco citato & Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. in hæc sententiam hæreticum putant asserere aliquid fuisse creatum ab angelis. Id autem videntur deducere, quia si parte natura sunt creaturæ, non creator. Hic enim est solus Deus, qui increatus cum sit, creator est omnium. Accedit, quod Basilides lib. 4. contra Eusebium in inde probat, filium esse verum Deum, quæ creare potest.

Porro ratione hanc sententiam confirmamus. Inter reliquas vero in hi probantur rationes Scoti: nam duæ aliæ quibus Thomistæ frequentius utuntur, non videntur efficaces, ut ex supradictis capite constat. Omnes tamen ad hanc unam reducere decrevi. Si aliqua creatura posset creare, debet esse nobilissima omnium, eo quod creatio est perfectissima actio transiens, quæ alii naturæ tribui potest: perfectior autem naturæ, quæ sit, quam spiritualis: ergo si aliqua creatura posset, spiritualis esset. Hæc autem non creat proxime per naturam suam, in quantum est, nec in necessitate crearet: perfectissima autem productio transiens, quæ perfectissimæ naturæ tribuitur, debet illi non necessario, sed libere convenire, & ab ea exire non in quantum est, sed in quantum intelligit, & vult: sed mediâ intelligentiæ & voluntate creata nihil potest creati: ergo nullo modo creatura creare valet. Probat autem Scotus, nullam naturam creatam mediâ intelligentiæ & voluntate creare posse: quia intelligentiæ & voluntati est accidens: ergo non potest esse principium creandi substantiam. Neque instrumentum: hoc enim deberet esse naturale instrumentum: autem naturale debet habere præterquam aliquam operationem, ut inductione constat. Loquor de instrumento naturali, nam de voluntarie a sumptu alia est ratio, ut statim dicemus. Quare si Angelus mediâ voluntate, & intelligentiæ crearet, & his positis sequeretur effectus, & ablati auferretur, nec aliquam haberet præterquam dispositionem, essent principales causæ creationis.

Huic rationi respondet Durandus nam 3. & seq. Primum intelligentiæ & voluntati non esse principium formale creati, sed dirigens tantum ad creationem, sicut in artifice ad opus artis. At hoc friuolum est, quoniam in artifice sit potentia exequens distincta ab intellectu, & voluntate, ponuntur intellectus & voluntas, ut dirigant ad operationem, at substantia spiritualis continet huiusmodi facultatem exequentem, præter ipsum intellectum, & voluntatem, ut disputatum est in 102. cap. 3. dicemus, intellectus ergo, & voluntas esse principia creationis. Deinde nam 3. dicit Durandus, non recte probari intelligentiæ & voluntati in Angelo esse accedens. Verum non est, si probatio Scoti, hoc pacto facile potest esse, intellectus

Athanas.

12: